

B 190

FRATER DANIEL AGRICOLA ORDINIS MI-
norum de obseruantia nuncupatus, theologiae studiosus, hone-
sto atq; sagaci Lodouico Hornken Agripinensi bibliotheca-
rio Salutem & pacem.



CCCEPIMVS SAEPENVMERO A VETERI-
bus, quoslibet egregiorum auctores facinorum perpetui, nominis es-
se celebrandos. Quobrem nonnulli pelagi scillas legerunt, Alij
rupium tesqua repedarunt. Reliqui vero extremos terrarum iustra
uere Garamantes, vt aeneas sui nominis emeritasq; erigerent sta-
tuas. Ob id aureum peliades periculo sui ingenti Medea doctri-
ce a Colehon abstulit vellus. Hercules Alcmenae bis sex in no-
minis sui praeclearam memoriam suapte pertulit labores. Haimo/
nis deniq; Alexander laxatis habenis vagabundus, vt nomen
suum coleret, totum per orbem & bella instituit & castra fixit.

Aliorum praefatis similia priusq; recenserem hesperus inuito procederet olimpo, culmi-
naq; iam summa villarum fumarent, & maiores altis caderet de montibus umbrarum
qui suorum laborum virtutumq; posteritati & exemplum reliquere, & imitandi norma
praescripserunt, ne vna cum corpore & obliuioni & terrae gesta mandarentur. Quum
vero tu Lodouice Hornken bibliopola nomen nedum indigenis coram, verumetiam
quibuslibet exteris comparasti minime gentium oblitteraturum facile tuis praeclearissi-
mis extimare poterit codicum monumentis. Tua profecto opera dialecticorum innotu-
scunt maxime, grammaticorum prominet, & canonica & syntaxis Rhetorum aspirat flo-
res. Mathesis supponunt porismata. Omnes deniq; disciplinae mixtae immodum exu-
perant emblemata, Attamen si hoc adamussim fungi volueris Lodouice opificio, ca-
uesis ne poetarum turpia & obscena bibliothecae anxiosam inferas tuae, nevt imprimen-
tur cures, & magnus mihi eris axiomatista, esto haud inficiar ephoebis, nequaquam pue-
ctis posse codices admitti poetarum breui legendos tempore, cum sale sint conditi, cum
honestatem & morum grauitatem redoleant, non prostibula/non lenocinia/non citha-
reum/caecum nudumq; lactantem cupidinem/vulnera effoeminatis inphronitisq; pe-
ctusculis virulento inferentem telo picta de pharetra, hos vt viridi latitatem spernas
velim serpente, Reliquos vero & colligere & venales exhibere qui vetat est nemo,
Verutamen ne hallucineris, sed nomen silici praeclearae insculpes, theologorum satage fa-
cultati, ubi gentium morem gerere haec (sic me Iesus amet) est quae deum vnice co-
lat, intelligetias latificat, viam mortalibus vranicae regionis ostendit. Cuius corona
gloria & honor/vultus/speculum immaculatum/indumentum/decus & fortitudo
& thronus eius in columna nubis. Sed aetatem habet, de se loquat. En inquit, Gyrum
caeli circuiui sola, & profundum abyssi penetraui, & in fluctibus maris ambulauit, &
in omni terra steti, & in omni gente, & in omni populo primatum habui. Per me reges
regnant, & legum conditores iusta decernunt. Per me principes imperant, & potentes
decernunt iusticiam, Quid ergo gyrouagos discurrunt per orbem, diuersa mundi cli-
mata, vt saecularium scientiarum inebriet situlae, cum illius solae aquae ne amplius sitia-
tur perfecte satiant. Huius nimis breue sententiarum magister Parrhysiensis antistes
Petrus Lombardus compilauit examussim itinerarium, quo splendidissime clauem
aperiendi theurgiam dei in supernis occupatam fabricauit. Scalam altissimarum rerum
ipse decusatim complicauit. Secretiora diuinarum cogitationum secreta aliquatenus li-
bare perdoct, Et quanto plus celebretur praesulis reuerendi nomen, tanto plus laus tua
Lodouice Hornken augetur, eo maxime quod calcographiae notulis correctionis lima
aereq; limpido Adam noster de Langendorff hypoplastes in lucem tuis fecit emanare
recenter impendit, Cuius demum magistri textum nouo modo in capitula quae de-
inde in .s. distinximus, Et si crebrius eundem lectitauerim, nihilominus interdum ob

LAIDES-
UND STADT-
BIBLIOTHEK
DOSSELDORF

pristinæ impressiōis incuriam errores in sibi repertos/lima æquitatis castigauimus, & sicuti prædecessoribus nostris absq; liuore corrigendo fecimus, sic nobis successores absq; bili præcamur faciant, deuia (si quæ sint) emendationis iure reducantes. Tu uero Lodouice bibliotecari, accipe niagistrum Sententiæ adoptate sectum in capitula, & §. concordantijs decusatum pulchris elucubrationibus enodatum/immo exanclatum, littera plana perspicua atq; uenusta. Impressum nuper Basileę regia vrbe, Ex officina prouidi viri Adæ Petri de Langendorff. Anno domini Millesimo quingentesimo tertio decimo. Mensis uero Iulias die uicesimo sexto.

¶ Numerus thearticus. F. D. Agricolæ seraphico gradiēs coturno in theurgiam ideatum,

Fuluum cœlestis iam musæ vsurpat honorem,
 In fragili cantans tenue mea pagina versu,
 Phœbea resonante cheli sat nec erit orpheus,
 Abdita sola potest residens in culmine cœli
 Pandere/cunctipotentē mōstrat sacra sophia,
 Cui superæ sedes, fronesis æquitatis asylum,
 Hæc porro pietatis fons, nois est quoq; origo
 Iusticiæ, lucis index, sed nescia noctis
 Ore manans summi de patris uita perennis
 Verba loqui blæsis, erranti dat quoq; callem,
 Pondere sub numero & mēsurā cūcta recenset
 Omne quod aspirat, diuino nectare rorat,
 Pandit ab exemplari cuncta pducier esse,
 Ergo litura debet detergere nulla sophiam,
 Attamen heu sacra p̄scribit orphana domna,
 Ipsam turpiter hermafroditauitq; camæna,
 Cuius arat vomer steriles in litore sulcos,
 Pacem non componit si sint fœdera soluit,
 Lactat ephœbos & disiungit iura mariti,
 Sustollit fronesios apicē aufert regna poloz,
 Noscere si quis anhelat q̄ fabricauit olympū,
 Qui terram pelagus/magno percussa tridenti
 Haud fuit a neptuno tellus/ nec loue cœlum,
 Omnipotēs tamen hæc fecit, sicut alma sophia
 Petri lombardi docet, hunc tibi trado legendū
 Offendes requiem/lucem/vitāq; beatam,